

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. I./II. 1910, pg. 75—91.)

§ VI.

Monasterium S. Andreae de Espinareda.

Alterum ex Coenobiis Provinciae „de Campos“ ad erudiendam studiosam Congregationis juventutem assignatum, fuit Spinarense, seu Spinaretense sub advocacione S. Andreae Apostoli, in Dioecesi Asturicensi situm, tribus leucis a Pontferrada, diversumque ab alio ejusdem advocacionis quod S. Gennadius non procul a Petromontano condidit, ut bene notant Yepes et Florez.¹⁾ Ob ejus archivi lamentabilem combustionem, quae contigit regnante Alphonso X, vix quidquam circa ipsum posteri scribere potuerunt, neque foundationis initia investigare. Creditur originem ejus a temporibus S. Fructuosi Archiepiscopi Bracarensis promanare; certe vero constat extitisse saltem ante dimidium saeculi X, ut apparet ex subscriptione Abbatis Juliani, quam privilegio Regis Ramiri Monasterio S. Jacobi de Peñalva concessio anno 940, apposuit. Magnam quoque hujus Coenobii antiquitatem demonstrat privilegium Ferdinandi I, Castellae et Legionis Regis, ex quo eruitur non solum ad genus Monasteriorum, quae duplicia erant, seu quasi mixta monachorum ac monialium sub uno Praelato in respectiva domo degentium, sed etiam aliquando ad aliud pertinuisse, nempe haeredum, seu haereditarium, ex familiis compositum, quae, ut se a publicis curis et tributis liberarentur, sub quadam professione monastica in unum locum sese congregabant, pro quibus regulandis et ad majora mala vitanda S. Fructuosus alteram Regularum suarum composuit.²⁾

Paulo post concessionem supradicti Privilegii, fortasse occasione Concilii Coiacensis, jussu ejusdem Magni Ferdinandi an. 1050 coacti, absunt moniales a monasterio S. Andreae Spinarensis, cui solerter praefuit Abbas Guterrius, „qui prudens monachos hic constituit fore primos sub norma Sancti consistentes Benedicti,“ sicut legebatur in ejus sepulcro,

¹⁾ Yepes, Crónica, IV, 270; Florez, »España Sagrada«, XVI, 49, edit. Matrit. 1787. Utrumque confudit Ferreras, rerum benedictinarum adversarius, cujus novitates partim confutavit P. Mag. Didacus Martinez de Cisneros, Abbas Arlanzensis, in opere »Antiferreras« Matriti, 1724.

²⁾ Conf. cap. VI, »Qualiter debeant viri cum uxoribus ac filiis absque periculo vivere«, item cap. XV—XVII. (Patr. Lat. LXXXVII, 1109 seq.) Yepes, I, 160; II, 48; IV, 106; V, 381; VI, 67 etc.: Morales, Crónica, lib. XIV, cap. I; Mabillon, »Annales Benedictini«, I, lib. XIII, n. XXXIX; Praefatio in saec. II, § III, n. 31.

ex quo pariter noscimus quod „vitam praesentem rite reliquit Era centena pariter nona sibi juncta millena“, id est anno Christi 1071.¹⁾ Salutari hac rerum mutatione ac catholicorum Principum praesidio crevit non modicum hujus Coenobii disciplina regularis, simulque copiae bonorum temporalium adeo acceverunt ut non parvam immobilium quantitatem vassalorumque numerum adeptum sit. Aliquando tamen inopiam sensit, aut saltem indigentiam passum, demonstrat testamentum Petri Fernandez, Asturicensis Episcopi (1242—65), qui Monasterio S. Andreae condonat debita cum eo contracta, jubetque eidem reddere Cruces, Calices, Paramenta sacra, quae in pignus ipse acceperat.²⁾ Alii se gesserunt postea Pseudo Abbates dicti Commendatarii, qui diu substantiam ejus suxerunt; quamvis enim jam ab anno 1449 Congregationi Vallisoletanae adhaerere tentaverit ut sic ab illorum unguibus eriperetur, hoc tamen non nisi saeculo sequenti, ad instantiam Regum Catholicorum per Bullam Julii II an. 1506 datam, obtinuit.³⁾ Ex hoc tempore, observantia, quam valde laudat Yepesius noster, ibidem viguit, et pariter scientiarum studium, nam Congregatio illud candidatis theologiam discituris primum destinavit, deinde Philosophis,⁴⁾ et tandem saeculo XIX. translatum apparet Collegium Exlonzense, quod durante bello cum gallis eversum fuerat.

Abbatum seriem, tam eorum, qui praefuerunt S. Andreae antiquis temporibus, quam ad Vallisoletanam Congregationem pertinentium, posuit cl. Yepesius, qui tamen ipse animadvertit non includi cunctos prioris aetatis, ut ex chronologia suspicatur. Requidem vera duos alios absque ullo labore invenimus ibidem non computatos, nempe Martinum, qui anno 1121 benedictionem abbatialem accepit ab Archiepiscopo Compostellano, percellebri Didaco Gelmirez, S. R. E. Legato, quia illam pervicaciter negaverat electo Asturicensis Episcopus, cui ex jure hoc competeat,⁵⁾ et Joannem, qui anno 1154 subscripsit Chartae libertatis, quam Petrus Christinus, Episcopus Asturicensis, ejusque Capitulum Monasterio S. Martini de Castañeda concessere.⁶⁾ Nihil aliud de coeteris mentione dignum occurrit, praeter quam de Alphonso, hujus nominis primo, qui diu Monasterium moderatus est (1345—82), quemque Nicolaus Pp. V executorem designavit ad quamdam

¹⁾ Yepes, loc. cit. pag. 67.

²⁾ »España Sagrada«, XVI, 237.

³⁾ »Motivos legales«, pag. 418.

⁴⁾ Argaiiz, »Soledad laureada«, III, 523, Constitutiones, edit. 1671, pag. 154: Constitutiones, edit. 1706, pag. 236.

⁵⁾ »Historia Compostellana«, lib. II. cap. XXXV, pag. 321 tom. XX edit. Henr. Florez »España Sagrada«: P. L. CLXX 1072.

⁶⁾ »España Sagrada«, XVI, 487.

beneficiorum anexionem faciendam, quemadmodum Episcopus et Capitulum Asturicense ab eo petierant.¹⁾

Ex Vallisoletanis constitutus fuit primus Superior Alphonsus de la Torre (1499—1505) usque dum res compositae sunt ob renunciationem Abbatiae, quam Romae impetraverat, ut ipse aiebat, quidam Joannes de Robles,²⁾ post quem electus fuit Abbas Ferdinandus a Sasamon (1510, 1514), postea Episcopus, Sedis nobis ignotae, nisi alius fuerit omonimus. Saeculo XVI adhuc habuit Praelatos ex ipso Conventu desumptos, nempe Magistrum Christophorum de Guzman (1585), qui studiorum moderator in Collegio Salmantino et in pluribus aliis fuit, Ferdinandum de Saravia (1588, 1597), deinde Carrionensem abbatem (†1604), et Petrum Ossorio (1600, 1604, 1610); sed postea ex aliis domibus provehi debuerunt, quia in Coenobiis ad studia destinatis, nullus, aut fere nemo, ad habitum suscipiebatur. Nihil aliud praeter eorum nomina nobis constat, ideo tantum memorandi veniunt Hieronymus de Velasco et Mendoza, Burgensis, electus anno 1669 ob renunciationem Josephi Aguirre,³⁾ deinde Archiepiscopus Algharensis (1686 — 1693?),⁴⁾ Anselmus Rodriguez, Laurensanensis (1761), deinde Abbas Generalis et Episcopus Almeriensis,⁵⁾ et Paulus Rodriguez, Sahaguntinus (1773), vir scientia clarissimus.⁶⁾

Ex Praelatis saeculi XIX, quatuor primi, ni fallimur, pertinent ad familiam Compostellanam, nempe, Bernardus Salgado (1801), Benedictus Palencia (1804), Vincentius Alonso (1814) et Petrus Gonzalez (1818); duo sequentes ad Cellanovanam, scilicet, Bernardus Morchon (1824) et Anicetus Pastor (1828), et postremus, id est, Augustins Sanz (1832) ad Sahaguntinam, de quibus fere omnibus in praecedentibus jam dictum est quaenam alia muna in Congregatione adimpleverint.

Monasterium et Ecclesia igne consumpta sunt saeculo XIII, regnante Alphonso X, qui privilegia ejus confirmavit. Ex antiqua Ecclesia duo remanserunt lapides, quibus constat mutatio primaevi status hujus Coenobii et obitus primi Abbatis Guterrii (1071) et sepultura benefactricis ejus Scemenae, quae olim Alphonsi VI fuerat concubina, et ex eo genuit Theresiam, Regum Lusitanorum parentem. Saeculo XVIII iterum renovata fuit Ecclesia, minus

¹⁾ »España Sagrada«, I. c. pag. 275.

²⁾ Confundendus non est hic cum omonimo, qui habitum induit apud Montserratum die 25 junii 1519, et doctrina non minus quam multorum Coenobiorum praelatura clarissimus evasit † 1572.

³⁾ Alius a Josepho Sanz de Aguirre, S. R. Ecclesiae Presbytero Cardinali, qui tantum fuit Abbas Salmanticensis.

⁴⁾ Gams, 832; Argaiç, »Perla de Cataluña«, p. 393.

⁵⁾ Studien, 1907, pag. 542.

⁶⁾ Studien, 1909, pag. 357.

tamen perite, opusque perfectum est intra 1768 et 1780. Post discessum Monachorum in Parochiam conversa est.¹⁾

§ VII.

Monasterium S. Petri „de Montes“.

Inter venerabiliora Hispaniae Ordinisque nostri loca proculdubio computandum est antiquissimum S. Petri de Montibus Asce-
terium situm „in finibus Bergidensis (Vierzo) territorii . . . juxta quodam Castellum, cujus vetustas conditorum nomen edidit Rupiana, inter excelsorum Alpium convallia a sanctae memoriae beatissimo Fructuoso olim fundatum“, teste Sancto Valerio Abbate, qui in vita ejusdem addit esse „in vastissima et arcta atque procul a soeculo remota solitudine.“²⁾ Ibi, ergo, sanctissimus Praesul „erga sanctum Altare se in Augusto et parvo retrusit ergastulo, cumque ibidem aliquanto tempore quievisset, egressa est omnis congregatio Complutensis Coenobii, multitudo Monachorum et pie violenterque venientes, ejeecerunt eum de eadem clausura et ad pristinum reduxerunt locum.“³⁾ Post S. Fructuosum, ejus „ergastulum“ inhabitavit B. Valerius Abbas, qui in eo innumeras terribilesque passus est tentationes ab inimico, propositum ejus undequaque impedire conante, ut ipse vir S. in opellis suis nos docet.⁴⁾ Quandiu in dicto loco Sanctus Abbas vixerit, haud certo constat, sed si fides lapidi sepulturae ipsius tribuenda est, obiit die 5 Aprilis Aerae DCCXXXIII, seu anno Christi 695,⁵⁾ relictis plurimis spiritus sui aemulis, qui advenientibus mauris, ut communiter sentiunt Auctores, inde discedere coacti sunt, quapropter aedificia ita diruta fuere ut vix eorum vestigia remanserint.

Recuperatis postmodum provinciis, quas invaserant arabes, circa finem saeculi IX suscitavit Dominus virum religiosissimum, qui fama illius deserti allectus, sed praecipue memoria Sanctorum Fructuosi et Valerii permotus, ad illud convolvit, vitamque monasticam iterum florescere fecit. Fuit iste Sanctus Gennadius, ex cujus testamento notitiam restorationis Monasterii Petri-Montani authenticam habemus, cujus verba hic transcribimus. „Cumque adhuc, inquit, sub Patre Apostolico Abbate meo Arandiselo

¹⁾ Yepes, l. cit. 67, 68; Quadrado, »Recuerdos y bellezas de España« Leon y Asturias, pag. 438—39; Madoz, »Diccionario geográfico-estadístico-histórico«, VII, 572, edit. Matrit. 1850.

²⁾ Florez, »España Sagrada«, XV, 145, 455; XVI, 34; Migne P. L. LXXXVI 444—45, 462.

³⁾ Florez; XV, 455; Mabillon, Acta SS. Ordinis S. Benedicti, II, 558, 559.

⁴⁾ Florez, XVI, 398, 399; Migne. P. L. l. cit. 450.

⁵⁾ Florez, XVI. 341; Mabillon, l. cit. 997. Cf. Morales, Crónica, lib. XII, cap. 53, (pag. 163 seq. t. II edit. Matrit. 1853). Yepes, II, 310.

in Ageo Monasterio degerem, vitam eremitorum Dei certantibus cum duodecim fratribus et benedictione supradicti senis ad Sanctum Petrum ad eremum perrexi. Qui locus positus a Beato Fructuoso est institutus. Post quem Sanctus Valerius eum obtinuit. . . Nam supra fatum locum in vetustatem reductum ac veteribus ruinis, sicut ab antiquis fuerat relictum, pene oblivioni deditum, vepribus, seu densissimis sylvis opertum, atque magnis arboribus ex immensitate annorum adumbratum, auxiliante Domino cum fratribus restauravi: terras de scaldido ejeci; horta et omnia quae ad usum Monasterii pertinent imposui.“¹⁾

Hanc S. Petri restaurationem ratam habuerunt tam Ordinarius Asturicensis, Ranulfus, quam Rex Ordonius II, prouti diplomate ab ipsis dato, quarto Kalendas maji Aerae DCCCCXXXVI (an. 898) testantur, qua occasione ipsum Sanctum Gennadium primum restaurati Coenobii Abbatem constituerunt dantes ei Regulam observationis Sanctae, cunctaque illi monastica instrumenta praeceperunt. Quae vero esset Regula haec observationis sanctae, ipsi declarant inferius; postquam enim Rex concedit Asceterio totum vallem in quo fundatum est, et omnia quae in illo continebantur, oblati quoque multis preciosisque muneribus ac suppellectilibus pro Ecclesiae servitio, tradit etiam „libros ecclesiasticos, Psalterium Comicum, Antiphonarium, manualium Orationum, Passionum, Sermonum Ordinum, Precum et Horarum, et data Regula, inquit, sanctae observationis monachorum firmaremus (?) sicut et fecimus, et omnem doctrinam deificam constitutam in regula beati Benedicti, quam eis observandam tradidimus (et) cum cunctis sibi subjectis monachis retinendam injungimus, hanc jure monastico observare elegimus“ . . . ,²⁾ quae declaratio ad alia hujusmodi instrumenta interpretanda extendi potest, et sic intelligi quae longe antea concessa sunt, ut credamus S. P. Benedicti Regulam in Hispania jam pridem observatam, etiamsi expresse mentio de illa non fiat, aut occurrat.

Opus restaurationis tam feliciter inceptum, nondum tamen perfectum secundum restauratoris desiderium, exturbavit mors Ranulfi Episcopi Asturicensis, in ejus locum assumptus fuit S. Gennadius communi omnium plausu ipse tantum aperte renitens, ut in supradicto testamento his verbis confitetur; ait enim: „Sed aemulus virtutum vitam nostram invidens, quasi pro aedificatione multorum, mentes plurimorum excitans, ad Pontificatum Astoricae ad suburbia adstractus sum, in quae multis annis involvens et magis in principium perdurans, quam spontanea mente, sed neque

¹⁾ Sandoval, Fundaciones, n. 3, pag. 27v; Yepes, IV, Append., Escritura XXVIII pag. 447v; Florez, XVI, 130.

²⁾ Sandoval, loc. cit. pag. 21; Yepes, II, Append. Escritura XIV, p. 10.

plene corporis ibidem commoravi¹⁾. Cum ergo toto corde apud S. Petrum degeret, nihil mirum quod restaurationem ejusdem usque ad complementum promoveret, ut statim idem Sanctus Episcopus subdit inquit: „Omnem sollicitudinem omnemque industriam erga praedictum eremum exercens, Ecclesiam Sancti Petri, quam dudum restauraveram, miris aedificaminibus revolvendo ampliavi et in melius, ut potui, erexi“, at „non oppressione vulgi sed largitate pretii et sudore fratrum hujus Monasterii“ ut habet lapis consecrationis, quae facta est ab eodem sancto Praesule die 24 Octobris, adstantibus quoque Sabarico Dumiensi, Fruminio Legionensi et Dulcidio Salmanticensi Episcopis.²⁾ Pro servitio ejusdem Ecclesiae tradidit beatissimus Pontifex „calicem cum patena, insuper et Evangelium et coronas argenteas, signum crucis et lucernam ex aere, libros Ecclesiasticos, id est, Psalterium, Comicum, Antiphonarium, Manuale Orationum, Ordinum, passionum et Horarum“, quos similiter distribuit aliis Ecclesiis. Et „quia non in solo pane vivit homo, sed omni verbo quod procedit ex ore Dei, restat (inquit idem vir Sanctus) ut coeteros Libros tam divinos, id est, Bibliothecam totam, Moralia Job, Pentateuchum cum Historia Ruth liber unus, sive etiam et specialiter docturi (?) id est Vitas Patrum, item Moralium Ezechielum; item Ezequielum, Properum, genera officiorum, Etymologiarum, catha Joannis, Libros Trinitatis, lib. Apringi, Epistolae Hieronymi, Item Etymologiarum, glossomatum, liber. Comitit, liber Regularum, Virorum illustrium, Hos omnes Libros jubeo ut omnibus fratribus in istis locis communes sint, nec quis quam eorum pro dominatione sibi vindicet, sed sicut dixi per partes et in commune possidentes videant legem Dei, et ad supradictas Ecclesias concurrant, verbi gratia, ut quantoscumque fuerint ex eis in Sancto Petro, alios tantos in Sancto Andrea, et alios tantos in Sancto Jacobo, et multo eos disponentes istos quos qui legerint in uno Monasterio commutent eos cum alio ita per singula loca discurrentes ut totos eos communiter habeant, et totos per ordinem legant, ea dumtaxat ratione servata ut nulli liceat ex his in alio loco transferre, donare, vendere aut commutare, sed tantum in his locis permanent et in hoc eremo fundata sint, seu etiam adhuc alia oratoria infra istis montibus constructa fuerint, habeant participatorem in his specialibus libris“ . . .³⁾ Hucusque Sanctus Gennadius, cujus verba ideo retulimus ut cognoscantur antiquae res ac consuetudines patrum nostrorum, quantique sacra volumina apud illos essent pretii, quantaque cura quotidie illa evolverent.

¹⁾ Sandoval, pag. 28; Yepes, IV, 447v; Florez, XVI, 134.

²⁾ Morales, Viaje Santo, pag. 172; Yepes, II, 177; Sandoval, p. 24; Florez, 132.

³⁾ Morales, l. cit., pag. 173, Sandoval, p. 28; Yepes, IV, 447v.

Vix consecratio ecclesiae Monasterii S. Petri peracta fuit cum, annuente rege Ordonio II, S. Gennadius Episcopatum abdicavit, ordinatoque pro se discipulo suo Forti, ad Eremum rediit, ubi tandem sancto fine quievit die 25 maji an. 936, plures relinquens spiritus sui haeredes, qui vitam monasticam et eremiticam illis in locis duxerunt ac illustrarunt, ut S. Vincentius Abbas, ejus ibidem in regimine successor, Salomon, deinde Asturicensis Praesul (931—951), Januarius, Petronatus Viliisque monachi, necnon et Stephanus „Abbas egregius, moribus eximius, vir Domini verus, rectusque tenore severus, discretus, sapiens, sobrius ac patiens, grandis honestatis, magnaque vir pietatis, dum sibi posse fuit“ . . . , ut legitur in ejus sepulchro, qui obiit era MCLXX, XIII Kalendas julii, (an. scil. 1132).¹⁾

Praeter Regem Ordonium plures alii Dinastae, tam Legionenses quam Castellani, bona et possessiones S. Petro contulerunt aut confirmarunt, ex quorum largitione olim multas Ecclesias nonnullaque Coenobia subjecta vidit. Ex istis praecipuum fuit antiquissimum illud S. Romani de Hornisga, quod a Chindasvinto Gothorum rege fundatum fuisse perhibetur.²⁾ Omnia haec constant in Bulla Honorii IV, quam Romae dedit apud Sanctam Sabinam per manum Magistri Petri de Mediolano Sanctae Romanae Ecclesiae Vice chancelarii, Calendis maji, anno 1286, sui Pontificatus primo.³⁾ Hac pontificia confirmatione non obstante, tum disciplina regularis, tum Monasterii bona ita evanuerunt in invasione pseudo abbatum Commendatariorum, ut deinceps Santissimum hoc Coenobium nunquam pristinum statum adipisci potuerit. Verumtamen a ruina quodammodo illud vindicavit ejus adhaesio Congregationi Vallisoletanae cura Ferdinandi V, qui hoc an. 1506 a Julio II obtinuit.⁴⁾ Sed quia tunc „in suis aedificiis (erat) valde dirutum, ac ejus bona temporalia illicite alienata existebant“ visum est Patribus ut uniretur Collegio Salmanticensi, quapropter per aliquot annos hujus Priores titulum quoque abbatiale Petromontanum conjunctum ostendunt, ut Bartholomeus de Albear (1535) deinde Abbas Generalis,⁵⁾ Joannes de Robles, vir litteris ac praelaturis clarissimus, alique apud Yepesium recensiti.⁶⁾

Series Abbatum S. Petri de Montes absque interruptione independenter a Salmantino Collegio habetur ab anno 1586, in quo electus fuit Christophorus de Guzman, S. Andreae de Espinareda

¹⁾ Sandoval, p. 25, 26, 31, 33: Yepes II, 182; IV, 258, 259, 363, 365; V, 79: Argaiz, Soledad laureada, III, 525—29; Florez, XVI, 41, 141, 148, 150 etc.

²⁾ Yepes, II, 183; Morales, Crónica, lib. XII, cap. 29. Cuadrado, Op. cit. Valladolid, pag. 179 seqq.

³⁾ Yepes, II, App. XIV, XV, XVI; »Motivos legales«, pag. 365.

⁴⁾ »Motivos legales«, pag. 366.

⁵⁾ Studien, 1907, pag. 48.

⁶⁾ Yepes, VII, 342 v.

monachus.¹⁾ Vix aliud quam nomen successorum ejus habemus, ideo sufficiat meminisse tantum illorum qui magis noti sunt, ut Gregorius Parcero (1633), de quo inter Moderatores Generales egimus,²⁾ Gennadius Olivar, quater ad abbatiale munus vocatus (1693, 1701, 1709 et 1717), Emanuel Amigo qui ejusdem officii dignus ter inventus est (1737, 1745 et 1753) et Benedictus Touve, qui post expletum semel et iterum idem munus (1749, 1757) obiit noviter electus 1765.³⁾

Saeculo XIX invenimus sequentes, et quidem hujus Ascerterii professos, nempe Petrum Riba, Calagurritanum, a Rosillo, (1801—1805); Joachim Herreruero, a Ponferrada, Dioecesis Asturicensis, qui seriem Praesulum praecedenti saeculo clauserat (1797—1801), et postea iterum atque iterum electus est (1818, 1824) post adimpletum Electoris munus (1814); Josephum Rodriguez (1814—) postea inter Generales adnumeratum (1832);⁴⁾ Heliadium Henriquez, item Asturicensem a Ponferrada (1828), jam pridem apud Sabagun majorem Concionatorem (1818) itemque Abbatum Electorem (1824), et denique Ildephonsum Gayoso, pariter Asturicensem a Fuentes nuevas (1824 et 1832), sub quo Sanctuarii dessolatio evenit.

Praeter hos Abbates laudandi sunt quoque Bernardus Perez Sobrino, Froylanus Losada, Gennadius Diaz et Joachim Lopez Caruxo, qui diversis temporibus locisque Congregationis ob concionatorium munus adimpletum bene meriti sunt, necnon et Bernardus Martinez, qui Magistri gradum assecutus, in Collegio Celeriensi docebat anno 1832, et biennio post Podiensi ob ejus Praelati mortem Abbas praefectus est.⁵⁾

Post viginti ab exclaustatione, ut ajunt, annos adhuc remanebant aedificia S. Petri de Montibus prouti ea reliquerant monachi, cum inde discessere, unusque illorum remanebat uti fidelium parochus, siquidem processu temporis paulatim domicilia circa monasterium construxerant sedemque fixerant, eaque de causa deficientibus religiosis Ecclesia in Parochiam destinata est. Antiquum Monasterii claustrum demolitum fuerat a monachis saeculo praecedenti ad aliud a fundamentis construendum, sed advenientibus saeculi XIX tot calamitatibus illud perficere non

¹⁾ Yepes, VI, 70.

²⁾ Studien, 1907, pag. 318.

³⁾ Hujus cum laude meminit Florez, XVI, 130. In eodem opere, XLVIII, 174, legitur Rudesindum de Caso, Abbatem S. Victoriani in Aragonia (1723—1746) fuisse antea Praelatum Petromontanum, quod certe probari non potest, nisi dicatur electum extra Capitulum ut soepe contigi novimus.

⁴⁾ Studien, 1907, pag. 547.

⁵⁾ Cf. Elenchos Capitulum Generalium Congregationis, seu »Plazas Escolásticas«.

valuerunt, ideoque valde imperfectum erat, cum discedere coacti sunt.¹⁾

§ VIII.

Monasterium S. Vincentii Salmanticensis.

Praecipuum Congregationis Collegium, ut suo loco diximus,²⁾ fuit insigne Coenobium S. Vincentii Salmanticensis, quod specialem meretur historiam, paucis lineis difficile texendam, quam ideo libenter relinquimus iis qui Archivo Congregationis potiuntur. Sufficiat ergo nobis tantum ejus primordia, nonnullaque alia ex more consignare.

Imprimis quoad ejus initia rejicere debemus quae Argaius ex pseudo Chronicis mutuavit,³⁾ quaeque nonnisi divinando, ut antea perpulchre dixerat cl. Yepesius, cognoscere possumus.⁴⁾ Hoc tantummodo affirmari potest quod saeculo XII inserviebat pro quibusdam canonicis, ut Scriptura donationis, quam fecit Alphonus VII Monasterio Cluniacensi, Petroque Venerabili, ejus Abbati, nos docet, cujus verba hic transcribere placet. „Ego, inquit, Adephonsus, Imperator Hispaniae, una cum uxore mea Berengaria, grato animo, voluntate spontanea, pro mea parentumque meorum salute, pro peccatorum nostrorum remissione, Cluniacensi Ecclesiae in honore beati Petri fundatae, et ejusdem Ecclesiae Abbati domno Petro, Monachisque omnibus Deo ibi militantibus eorum successoribus in perpetuum, Ecclesiam sancti Vincentii de Salamantica cum omnibus ejus haereditatibus, vel a me, vel ab aliis ei datis, ejusdem Ecclesiae Priore domno Aliuco, domnoque Berengario ipsius civitatis Episcopo suggerentibus et concedentibus, jure haereditario dono, et haereditariam eis in perpetuum habendam concedo. Ita, inquam, praedictae Cluniacensi Ecclesiae et praedicto Abbati domno Petro Ecclesiam Sancti Vincentii praenominatam dono, quatenus Canonicae habitum, qui modo ibi habetur, in habitum Monachalem transvertat, et eidem Ecclesiae ac ejus possessionibus ut pater et dominus semper disponat semper provideat“ . . .⁵⁾ Hanc donationem fecit Alphonus „Naxarae IV Kal. Novembris, Era MCLXXXI“ (seu anno Christi 1143), „in manu domini Guidonis Romanae Ecclesiae Cardinalis et Legati“, illamque postea confirmavit Coelestinus II anno sequenti apud „Lateranum VI Martii, „ipso mense quo e vita migravit.“⁶⁾ Ex eo tempore ibidem ordo Cluniacensis viguit per trecentorum sexaginta annorum spatium quin tamen successus

¹⁾ Cuadrado, »Recuerdos y Bellezas de España«, Asturias y Leon pag. 450.

²⁾ Studien, 1906, pag. 602.

³⁾ Argalz, »Soledad laureada«, V, 190—91.

⁴⁾ Yepes, VII, 336 v.

⁵⁾ Yepes, l. c. App. Eseritura XXVIII, pag. 22 v.

⁶⁾ Yepes, l. c. App. Eseritura XXVIII et XXIX.

edisseri possint, quia domus igne consumpta est. Servatur tantummodo quoddam privilegium regis Alphonsi XI. in quo inseruntur alia praedecessorum suorum,¹⁾ ex quibus constant facultates praediaque ipsi concessa intra civitatem Salmanticensem, quae omnia non esse mediocria bene observat cl. Yepes. Quanta vero fuerit observantia colligitur ex memoria monachi, nomine Zoles, seu Zoilus, qui ob sanctitatem et signa in ejus testimonium apud ipsius sepulchrum patrata, ut Sanctus a fidelibus colebatur, et canonica informatione peracta, ab episcopo Salmantino elevatus est.²⁾ Sed neque studium etiam litterarum ibidem defuit, permotus enim Abbas Cluniacensis exemplo aliorum ordinum, famaue Universitatis Salmanticensis statuit ut ad illud monachi reliquorum Hispaniae Coenobiorum, quae Cluniaco subjecta erant, confluerent, pro quibus sublevandis Prioratum Sanctae Agathae Mirobricensis eidem Collegio subjecit.³⁾

Initio saeculi XVI Prioratus Sancti Vincentii „valde dirutus et destructus“ exstabat, et quidem „propter commendam“, ut eruitur ex Brevi Julii II, dato Romae apud S. Petrum XVII Kalendas Julii anni 1504, ad instantiam Regum Catholicorum et Congregationis Vallisoletanae, „qui attente prospicientes quanta per litterarum sacrarum studia Christianae fidei commoda, quantumque per eruditos in illis, maxime sub regulari observantia Altissimo devote famulantes Ecclesiae universali ac Christi fidelium animarum saluti in praedicationibus verbi Dei, confessionum audientia ac aliis divinis actionibus nec non religionis propagationi, et Monachorum (dictae Congregationis) utilitati consulitur“ . . . humiliter supplicarunt ut in dicto Prioratu Sancti Vincentii Ordo Cluniacensium supprimeretur et regularia instituta Vallisoletana in posterum observarentur, et ibidem „unum Collegium in quo ad minus viginti Monachi dictae Congregationis litterarum studio . . . operam dantes continuo“ degerent, erigi dignaretur, prouti fecit supradictus Pontifex, qui simul statuit ut post mortem aut dimissionem Prioris tunc existentis, novus eligatur per Abbatem S. Benedicti, sequentes vero ab ipso Conventu.⁴⁾

Ultimus ex Cluniacensibus Praelatis fuit Joannes de la Serna, professus Carrionensis, qui pariter erat Abbas (commendatarius) Sancti Petri de Montes; statim resignavit Prioratum S. Vincentii, in cujus locum electus est Paschalis, et post ipsum alii eodem titulo, usque ad annum 1538, quo ad Abbatiae gradum

1) Yepes, l. c. App. Escritura XXXVI.

2) Gonzalez Davila, »Theatro Ecclesiástico«, Iglesia de Salamanca, pag. 47, edit. 1598. Yepes, l. cit. pag. 338—39.

3) Yepes, l. cit. pag. 339—41.

4) Privilegia praecipua Congreg. S. Benedicti Vallisoletani, pag. 147 — 150, edit. Vallisoleti 1595: Motivos legales, pag. 432.

evectum est hoc Collegium.¹⁾ Nullum deinde Congregationis Vallisoletanae, ne dicam et Ordinis, Coenobium similem exhibere potest Catalogum Praelatorum illustrium tam virtute ac scientia, quam muneribus perfunctis, tum intra Ordinem, tum extra illum, sicut Vincentinum nostrum, cui praefuere Octodecim Abbates, qui prius aut postea universam Congregationem moderati sunt, ex quibus nonnulli adhuc ad superiorem gradum ascendere meruerunt, nempe Placidus Pacheco (1601—4), deinde Gaditanus et Placentinus Antistes († 1639) ejusque in regimine successor Antonius Perez, silensis (1604), postea Episcopus Urgellensis et Illerdensis et Archiepiscopus Tarraconensis († 1637); Alphonsus de San Vitores, professus S. Joannis de Burgos (1629—33), et Ecclesiarum Almeriensis, Auriensis et Zamorensis meritissimus Praesul († 1660); quem secutus est Maurus Villaroel, ex monasterio de Lorenzana, (1633—37), qui obiit episcopus Jacencis, et electus Metropolitae Coesaraugustanus (1646). Paulo post ipsum intravit Joannes Manuel de Espinosa, ex Monteserrato (1645 — 1649), qui pietate ac sanctimonia Sedes Urgellensem ac Tarraconensem magis adhuc illustres reddidit.²⁾ His omnibus praecesserat Cl. vir Alphonsus de Virues, Canariensis Praesul, doctrina eximius, qua excellere pariter fere omnes supramemorati, necnon et Franciscus Ruiz de Valladolid, Sahaguntinus, olim Praepositus S. Vincentii (1522), sicut et Joannes de Robles, ex Monteserrato, primus ex Abbatibus ejusdem (1539, 1563, 1568); ejusque successores Antonius de Yepes, Vallisoletanus (1598); Benedictus de la Serna, Hispalensis (1641); Josephus Perez, Sahaguntinus (1681, 1689); Joannes Baptista Lardito, Matritensis (1693, 1701); Emmanuel Navarro, Compostellanus (1697, 1713); Emmanuel Lombrana, Sahaguntinus, (1709), et Benedictus Vela, pariter Sahaguntinus (1733). Etiam Vincentinum Collegium rexit duobus triennis (1729, 1727) Benedictus Marin, Laurenzanensis, qui post brevem in Barbastro pontificatum, ad Giennensem Cathedralam translatus plurimum etiam reipublicae profuit. Sed omnes supradictos, coeterosque praetermissos superavit Emminentissimus revera vir Josephus Sanz de Aguirre, qui hujus Collegii praefecturam habuit (1677—81), et ob vitae ac doctrinae laudem inter Romanae Ecclesiae Patres Cardinales ab Innocentio XI, adscriptus est (2 Septembris 1686, † 19 augusti 1699).

¹⁾ Yepes, l. c. 342.

²⁾ Cf. Studien, 1907, pag. 315 seqq. Reliqui fuere: Alphonsus de Zorrilla (1560); Antonius de Prado (1571); Antonius de Sea (1580); Placidus de Salinas (1579, 1583, 1587); Christophorus de Aguero (1587); Petrus Barba (1592); Benedictus de la Serna (1641); Joannes B. Lardito (1693, 1701); Angelus Herce (1721), Isidorus Arias (1753); Ferdinandus Montenegro (1789); Anselmus Pelaez (1793) et Fulgentius Campo (1824). Cf. Studien. 1907.

Abbatess soeculi XIX fuere Petrus Arrieta, Onniensis (1801), Benedictus Rafols, Montserratensis (1805, 1818), Fulgentius Campo, Carrionensis (1824); Placidus Diez, Onniensis (1828) et Antonius Limia, Vallisoletanus (1814, 1832); omnes diversis officiis ac muneribus perfunctis meritissimi.

Praeter abbates, Collegium Vincentinum valde nobilitarunt quotquot monachi Congregationis, virtute, scientia, et dignitatibus praestantes evaserunt, quorum Catalogus nimis prolixus esset, cum ejus Rectores, studiorum cathedrarumque moderatores ex dignioribus personis seligerentur, ita ut eodem tempore docentes viderit Josephum Sanz de Aguirre, Benedictum Sala, et ipsum postea S. R. Ecclesiae Cardinalem (1713—1715), et Enneconem Royo, qui post expletum Generalatus officium obiit, pro episcopali dignitate jam designatus (1698).¹⁾ Neque defuerunt ei viri illustres, quamvis paucissimi essent ibidem, seu pro illo Collegio ad habitum admissi, ex quibus nominari merentur, praeter Placidum Pacheco, de quo supra, Joannes de Castro, ex Comitibus potentissimae domus de Lemos progenitus, qui obiit Archiepiscopus Tarentinus, electus Cordubensis Ecclesiae Praesul (1600—1603 †),²⁾ Gregorius de Alfaro, translatione operum Ludovici Blosii, aliisque scriptis benemeritus, Leander de Granada, qui Libros S. Gertrudis etiam transtulit, quo nomen suum non parum evulgavit.

Situm erat Coenobium S. Vincentii in occidentali parte civitatis, secus fluvium Tormes, qui meridionale ac occidentale latus lambit, in supercilio ubi antiquitus fuit quoddam castrum, cui civitas subiacebat. Incredibile est quantum ad aedificia restauranda et reficienda Congregatio expenderet; cum enim fructus antiqui Prioratus ad id non sufficerent, Capitula Generalia speciales taxas singulis Coenobiis jam ab initio imponere debuerunt, sicque a ruinis paulatim surrexit, et deinde inter praecipua illius urbis Collegia computabatur, tam scholasticorum numero quam aedificiorum amplitudine et magnificentia, prouti ruinae illorum quae adhuc anno 1865 remanebant, et auctores unanimiter testificantur.³⁾ Soeculo XVIII, tum Ecclesia, tum Coenobium a vetustate fuerant vindicata per Abbates Benedictum Marin, Isidorumque Arias, sed tempore Napoleonicae in Hispaniam invasionis, hoc Monasterium, ratione situs, conversum fuit in castrum ad defensionem civitatis, quod nunc a gallis, nunc a nostratibus possessum, tandem die

¹⁾ Studien, 1907, pag. 326, ubi hoc omissum est, quia sero pervenit.

²⁾ Yepes. l. c. 346—47; Ughelli, Italia sacra, IX, 147 edit. Venet. 1721; Gams, 930.

³⁾ Gonzalez Davila, op. cit. Yepes, l. cit. pag. 341; Cuadrado, op. cit. Salamanca, pag. 72. Interiorem tamen Ecclesiae ornatum improbat Ponz, »Viaje de España, XII, 257, Matrit. 1783.

27 junii 1812 ab exercitu anglo-hispano igne consumptum est, sicque galli milites pactione sese tradidere.¹⁾ Pace deinde regno reddita, Collegium Vincentinum ad Monasterium S. Stephani Ripasilensis translatum fuit „donec Ovetense restauraretur“, et postea nomen ipsius non amplius in Catalogis sonat, tametsi toto illo tempore Praelati Salmanticenses in Capitulis, sicuti coeteri Congregationis nominarentur et nonnulli monachi etiam in illa Accademia consuetas cathedras possiderent.

§ IX.

Monasterium S. Isidori de Dueñas.

Alterum ex Coenobiis Cluniacensi subjectis est illud S. Isidori Martyris, vulgo „de Dueñas“ in loco amaenissimo dioecesis Palentinae inter fluvios Pisoricam et Carrion positum. Ejus fundationem nonnulli ad tempora Gothorum existimant ascendere,²⁾ alii e contra ejus conditorem fuisse Regem Garciam, Alphonsi Magni filium;³⁾ neutrum tamen verum esse censemus, hoc unice affirmantes antecedere tempora prafati Principis, ut colligitur ex diplomate Ferdinandi I, huic Monasterio Kalendis Octobris, Aera MLXXX (an. 1042) concessio, ubi confirmat ipsum locum in quo Basilica sita est „cum suis terminis et montibus et fontibus et pelagis quomodo in privilegio domini Adephonsi, sive Garciae sive Ordonii regis continentur“. Jamvero Alphonsus III regnavit usque ad annum 910, quo sceptrum resignavit pro filio suo Garcia I, qui adversus inclytum genitorem arma levaverat: Chartam vero dotationis coenobii Isidoriani signavit iste in civitate Legionensi XV Kal. Martii, Aera DCCCCXLVIII (an. Christi 911); non est ergo credibile quod brevissimo hoc intervallo Monasterium condidisset. Sed hoc jam extare aperte probant verba ipsius Scripturae, quae ita incipit: „Glorioso et post Deum nobis fortissimo Patrono Sancto Isidoro, cujus Basilica fundata est in suburbio Legionensi, juxta Castellum vocitatum Donnias, inter duo flumina Pisorica et Carrion“ . . . Ostendit etiam inferius ibidem exstare Coenobium et quidem sub Regula S. P. Benedicti conditum, ait enim: „Offerimus denique sancto altari vestro pro sustentatione fratrum Deo ibidem militantium, quorum Abbas Ovecco dignoscitur sive et pro susceptione hospitium et peregrinorum illuc advenientium, imprimis ipsam

¹⁾ Cuadrado, loc. cit.; Diaz de Baeza, Historia de la guerra de España contra Napoleón, pag. 334, edit. Matrit. 1843; Madoz, Diccionario geográfico etc., v. Salamanca, XIII, 668; item, Diccionario geográfico universal, VIII, 490, edit. Barcin. 1833.

²⁾ Sandoval, Fundaciones, »Dueñas«, 42: Yepes, Crónica, IV, 198 seq.

³⁾ Cuadrado, op. cit. »Palencia«, pag. 225, 231: Morales, Crónica, lib. XV, cap. XXXV, pag. 341, t. II. edit. Matr. 1853.

⁴⁾ Yepes, op. cit. Append., Escritura XXV, pag. 445 v.

Ecclesiam cum aedificiis cunctis . . . etc. concedimus atque donamus . . . ea dumtaxat ratione servata, ut tam jam dictus Ovecco Abbas cum fratribus suis, quam qui post eum loco ejus successerit, qui vitam sanctam secundum Regulam beati Benedicti ibidem duxerint, habeant, possideant, vindicent et defendant, Et pro nobis Regnique nostri incolumitate orare non pigeant et oblationem Christo Iesu offerant.¹⁾

Praedictam Garciae I erga S. Isidorum donationem, confirmarunt auxeruntque praeter Ferdinandum I, Ordonius II et Froylanus II Garciae fratres ac successores, necnon et Ramirus II, Ordonii filius, ac fere cuncti Reges Legionenses.²⁾ Post Ferdinandum I, Castellae ac Legionis Regem, praecipui benefactores fuere Alphonsus VI ejusque filia Hurraca, et Alphonsus VIII, qui plura alia Coenobia Sancto Isidoro subjecta esse voluerunt, quibus sat locupletem ac divitem se vidit.³⁾ Nam habuit sub dominio vicinum Monasterium S. Ioannis de Baños, ejus Ecclesia constructa fuit an. 661 a Rege Gothorum Recesvinto:⁴⁾ item Sanctae Mariae de Remolino, quod obtulit, Era CMLXII (an. 924) Froylanus II; Sanctae Columbae de Tariago, a Comite Ferdinando Ansurez, Era 1009 (an. 971) aggregatum; S. Baudilii, vulgo S. Boal del Pinar, a Petro Anzurez pariter Comite traditum Era 1150 (an. 1112); S. Torquati et S. Aemiliani de Soto, quae donavit Era 1152 (an. 1114) Hurraca regina, ejus liberalitate, biennio post, S. Isidorus possedit Monasterium S. Michaelis de Hontoria, et anno 1124 antiquum ac celeberrimum S. Michaelis de Escalada, quod a monachis Cordubensibus, sub Alphonso III excitatum, postea Canonicis S. Rufi donatum est, qui anni 1246 illud Ecclesiae Legionensi venditione cessere.⁵⁾

1) Yepes, l. cit. Append. Eseritura XXIII, pag. 444v. Aguirre, Collectio maxima Conciliorum omnium Hispania, etc. IV, 369. edit. Romae 1754.

2) Yepes, l. cit. Sandoval, op. cit. pag. 42v—43; Cuadrado, op. cit.

3) Septemdecim refert Yepes, l. cit. pag. 204v—207, omisis Ecclesiis, Oppidisque, quae plurima numero fuere.

4) Ita coligunt Authores ex inscriptione, quae inveniebatur in Ecclesia:

»Praecursor Domini martyr Baptista Johannes
Posside constructam aeterno nomine sedem
Quam tibi devotus Rex Recesvinthus amator
Nominis ipse tui, proprio de jure dicavi
Tertii post decimum Regni Comes inclytus anno
Sexagesies decies, Era nonagesima nona.«

Cf. Yepes, l. cit. pag. 205; Ponz, »Viaje de España«, XI, 261. Matrit. 1783: Madoz, Op. cit. III, 363.

5) Risco, »España Sagrada«, XXXV, 310—12, Cuadrado, Opus cit. pag. 337—38, qui afferunt inscriptionem tabulae lapideae super portam Ecclesiae, ad primaevam Coenobii hujus notitiam valde utilem: »Hic locus antiquitus Michaelis Archangeli honore dicatus, brevi opere instructus, post ruinis abolutus diu mansit dirutus, donec Adephonsus Abba cum sociis adveniens a Corduensi patria edis ruinam crexit sub valente sereno Adephonso Principe Monachorum numero

Monasterium Isidorianum ita oppulentum Alphonsus VI pro sua in S. Hugonem monachosque Cluniacenses devotione, illi Coenobio aggregavit, quo dignitas abbatialis nostro sublata est, juxta Cluniacensium morem, et deinde per Priores e Gallia missos gubernari coepit, quod, etsi primitus aliquid prodesse visum est ob sanctimoniam reformationemque illorum monachorum, postea vero gravissima intulit incommoda; quia, sublata hispanis monachis facultate admittendi candidatos ad professionem, in Cluniacum mittebantur, et ita istorum numerus neccessario minui debuit; et alioquin persaepe Priores, utpote extranei, minore studio sollertiaque in Isidorianam familiam propensi erant, ac proinde rerum ipsius non satis curam gerebant, quo sensim sine sensu Monasterium in deteriorem statum pervenit. Hoc itaque malum apprime considerantes Isidoriani monachi, remedium aliunde quaerere censuerunt; quapropter gallicanam excutientes dependentiam, reformationem Vallisoletanorum amplexi sunt adjuvantibus tum Ferdinando de Acuña, Comite nobilissimo de Buendia, tum maxime Regibus Catholicis, qui hujusmodi gratiam anno 1478 a Sixto IV impetrarunt.¹⁾

Salutari hac mutatione statim surgere incoepit Monasterium Isidorianum, praesertim adjutorio monachorum, quos eo misit Prior Vallisoletanus, Ioannes de Chevalier,²⁾ ingressuque postulantium illius regionis, quorum nonnulli postea magna vitae religione claruerunt, uti refert cl. Yepesius, nempe Alphonsus de Maldonado, Ioannes de la Puente, Benedictus de Boñano, Rodericus de Cañedo et Hieronymus de Epila, qui praeterea scientia enituit, magnum vocabularium relinquens, a doctioribus sui temporis maximo pretio habitum.³⁾

Praelatorum hujus Monasterii, a primaeva ipsius aetate usque ad extinctionem ejusdem saeculo XIX factam, nihil, praeter nomina, restat. Primus, qui illum rexit Abbas, fuit Ovecco (910

crescente, demum hoc templum decorum miro opere a fundamine ex undique amplificatum erigitur. Non jussu imperiali vel oppressine vulgi, sed Abbatis Adep-honsi et fratrum instante vigilantia duodenis mensibus peracta sunt haec opera, Garsea sceptri Regni peragens Mumadonna cum Regina. Era DCCCCLI. Sacratum-que templum ab Episcopum Iennadium XII Kal. Decembrium.« Postea templum reformatum aut adornatum videtur, et apposita est nova haec inscriptio: »In honorem Sancti Michaelis Archangeli Aera LXXXVIII super millesima regnante Principe Serenissimo Domino nostro Ferdinando Rex et Sanctia Regina; sub virtus Xpi Cyprianus, Dei gratia Episcopus in Sancta Maria. Sub misericordia et gratia Domini Sabaricus Abba cum omnibus fratribus et sociis suis, cum timore Domini in Ecclesia sectantes.«

¹⁾ Yepes, loc. cit. 201 v; *Motivos legales*, pag. 387.

²⁾ Hi fuere Ioannes de Villafalcon, Ioannes de Soria, Gabriel de Carrion, Alphonsus de Roxas, Ioannes de Cuenca, Petrus de Espinosa, Alphonsus Maldonado et Garcias de Siersa. Yepes, loc. cit.

³⁾ Yepes, pag. 102; Argaiç, *La Perla de Cataluña*, pag. 447.

— 914), juxta Sandovalium deinde Pontifex Legionensis,¹⁾ ultimus vero ex antiquis, Ioannes (1043), qui triginta et amplius annis dignitatem abbatialem sustinuit. Praepositus, post eum a Sancto Hugone missus (1085), vocatur Robertus, fuitque simul Camerarius, seu Abbatibus Cluniacensis in Hispania Vicarius, per triginta annorum spatium. Viginti quatuor ex eadem Congregatione secuti sunt Priores usque ad Petrum de Vilforado, hispanum (sicut reliqui ejusdem saeculi XV), qui adhuc post obtentam cum Vallisoletanis unionem, Prioris titulum usque ad mortem retinuit (1483), quo pariter Isidorianum Coenobium gubernarunt primi Vallisoletani, ut Ioannes de Sancto Ioanne (1487), postea totius Congregationis Moderator,²⁾ Gabriel de Carrion, vir quoque sanctitate praeclarus (1492) et Isidorus de Llanos, (1495) cui ob virtutis praestantiam demandata est Coenobiorum Galaicorum reformatio. Primus post restauratam denuo abbatialem dignitatem Praesul Isidorianus fuit Franciscus de Castro (1499, 1509), ob morum suavitatem vitaeque sanctimoniam cognomento bonus, qui dignum successorem habuit Andream de Tordesillas, de Sancto Isidoro meritissimum, quia Pseudo abbatibus, bona Coenobii hujus jam olfactibus ac requirentibus, viriliter restitit, quo tandem observantia firmata permansit. Coeterorum, qui usque ad saeculum XIX in hoc Coenobio regimen exercere, non est cur hic mentionem faciamus, praeterquam Alfonsi de Toro (1521), Benedicti de Gaona (1586) et Gabrielis de Riba Herrera (1625), qui Congregationem universam quoque moderati sunt.³⁾ At omittere non possumus nomen Cl. viri Prudentii de Sandoval, Naxarensis (1604), postea Tudensis, et Pampilonensis successive Antistitis († 1620), cujus laudes quotquot de scriptoribus hispanis agunt, unanimiter copioseque contextunt.⁴⁾

Saeculo XIX sex habuit Abbates, nempe, Jacobum Garcia, Asturicensem a Sesamo (1801), Felicem Uzero, a Cuellar, dioecesis

¹⁾ Fundaciones, pag. 43; vel juxta Argaizium, Ovetensis. Soledad Laureada VI, 48; 147: neutrum placet P. Risco (España Sagrada, XXXIV, 238, XXXVII, 265), cui sententiae facile subscribimus, quia etsi adsint haec aetate in illis Ecclesiis Praelati nomine Ovecci, Legionensis Pontificatum non iniit usque ad an. 928, Ovetensis vero erat Praesul an. 912.

²⁾ Studien, 1907, pag. 46.

³⁾ Studien, 1907, 47, 51, 320.

⁴⁾ Gams, 63, 85; Lafuente (Vinc.), V, 537, 555; Florez, »España Sagrada, XXIII, 53, seqq. ubi ejus vitam et scripta distincte describit: unde miramur valde, seu potius dolemus quod hic aliique plures monachi nostri tot ingenii monumentis relictis vere laudandi, plerumque praetereantur ab iis qui de scriptoribus ecclesiasticis pertractant cum in catalogis saepe includant auctores qui de Mathesi aliave hujusmodi materia scripsere. Cf. Nicolás Anton. Bibliotheca Hispana nova, II, 206, edit. Romae 1672; II, 255 edit. Matrit. 1788: — Ziegelbauer-Lepont, Historia rei litterariae Ordinis S. Benedicti, IV, 469, 470, 480, 564.

Segoviensis (1805), Ignatium Fernandez Ulloa, Lucensem a Chantada, qui bis Coenobii hujus baculum accepit (1814, 1824) et post adimpletum Electoris munus (1828), Lerezensis Collegii postremus extitit Praelatus (1832); Andream Cano, Palentinum (1818), Rudesindum Nores, gallaicum, a Quinza dioecesis Auriensis (1828) et Didacum Morillo Caballero, a Castuera territorii Ordinis de Alcantara (1832).

Conventus Isidorianus, initio hujus saeculi, constabat triginta duobus monachis et quinque conversis. Ex superstitionibus magnae calamitatis anni 1835 duo tandem ad Montserratum aufugerunt, nempe Josephus Giraldez († 1872) et Anselmus Molero († 1880); Leander vero Moreno Guzman in Monasterio Samonensi cucullam resumpsit (an. 1880). Monasterium, quod per quinquaginta fere annorum spatium manserat desertum inhabitatur hodie a monachis familiae Cisterciensis, quos vulgus Trappenses vocat, magno revera illius regionis emolumento ac utilitate, nec minore benedictini nominis per universam Hispaniam splendore ac fama.

(Continuatio sequitur.)

Mitteilungen aus den lateinischen Handschriften zu St. Petersburg.

Von Dom Antonio Staerk, O. S. B.

(Schluß zu Heft 1—2, 1910, S. 3—36.)

§ 3. Der Codex Q. v. I. No. 34

Ex musaeo Petri Dubrowski. [Olim *Corb.* N. 230; *Sangerman* 686. ¹⁾]. 88 fol. 183—151 mm. 23 lin. lit. minusc. curol Saec. X

Ordo scrutinii ;
Theodu'phus, de ordine baptismi ;
*Interrogationes de trinitate et unitate Patris
et Filii et Spiritus sancti* ;
Tractatus super Missam duo ;
Aetas lunae et de signis Zodiaci ;
Liber Paenitentialis Halitgarii ;
Computus astronomicus de statu aegroti

Diese Handschrift ist von mehreren aber gleichzeitigen Händen geschrieben. — Ursprünglich bestand sie aus 156 folia, die sich heute noch in drei St.-Petersburger Codices derart vorfinden:

¹⁾ N. 663 bei *Montfaucon* in der *Bibliotheca Bibliothecarum*.